QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM,
Die Jovis 16. Januarij.
M. CLAUDIO GUERIN,
DOCTORE MEDICO, Præſide.

An morbis curandis verba & characteres?

I.

MAGIA quintuplex eſt, Mathematica, Præſtigiatrix, Venefica, Goetica, & Theurgica. Mathematica motus & aſpirationes ſiderum ſpectat, & apoteleſmatis ex certo metallo conflatis, & ſub aliquo ſidere figuratis miram vim infundere promittit; atque etiam automata præſtare, qualia columba volatilis Architæ, & ſtatua vocalis Mercurij fuiſſe perhibentur. Præſtigiatrix oculis illudit, aeris & objecti alteratione, quomodo certis pulveribus cereis immiſtis, canum, aſinorum, equorum & aliorum animalium capita hominibus affinguntur: & ſpeculis certo ordine diſpoſitis ſpectra quædam obverſari videntur; ſic Paſetes lautum convivium exhibebat, quod ſingulis menſis accumbentibus evaneſcebat. Sic Pythagoras in ſpeculo characteres quoſdam ſanguine notabat, quibus ſibi objectis infecta luna cernebatur. Utraque hæc magia honorifica fuit apud Perſas, quibus μάγος idem eſt quod Græcis σοφός. Venefica, calce meſſes urit, aut illicio quodam ineſcatis inſectis depopulatur, hydrargyro cavis arborum inſtillato eas perimit, philtris ſeu hippomane, & quod à teneri fronte revellitur equi, eroticum furorem quibuſdam ut Lucretio Poëtæ, Lucullo, & Caligulæ lethalem parit, menſtruo ſanguine hominis mentem turbat, felis oggeſto cruore quempiam adducit ut ſe felem arbitratus iſtud animal æmuletur, exſiccati phalangij pulvere vino infuſo aut ejuſdem ſuffitu orcheſtricam maniam inducit. An veneno aſſueta puella ab Indorum doloſo Rege, Alexandro magno donata, eum viſu vel habitu interficere poterat? Gallina rubetis & ſcorpionibus uſa, ſturnus & caper cicuta, neminem ſic offendunt: venena triplici coctione alterata alimentorum naturam induunt. Goetica ſeu Necromantica certis verbis & characteribus lunam cœlo deducere, flumina retro vertere, alio meſſes traducere, angues rumpere, animas ſepulchris exeire, & alia miracula edere pollicetur. Theurgica, quibuſdam male caballa dicta, vitæ puritate & caſtimonia homines diſponere creditur ut cum numinibus converſentur, & ab iis mira præſtandi vim accipiant. Novi cabaliſtæ imperſpicuos quoſdam elementorum accolas rationales & mortales comminiſcuntur, nimirum ſalamandras ignis, ſylphos aeris, nymphas aquæ, gnomos terræ, quorum conjugio caſti homines fruuntur, ſic ut his immortalitatem impertiant, & ab his luculentiſſimas dotes mutuentur. quidam empuſas & παρέδρους adjiciunt. Magi mathematici certis characteribus in quodam metallo ſub aliquo ſidere expreſſis, Goetici vero & Theurgici certis verbis & precationibus morbos depellere pollicentur. Sed niſi verba & characteres inſitam agendi vim habeant, ea ad morborum curationem medicus non adhibebit.

I I.

MATHEMATICORUM automata quæ Colcodæa seu anima mundi informata se agitant, æque fictitia sunt ac utres armati cum Apulæo congressi. Eorumdem Apotelesmata Arabibus *Talisman* seu *Tsaliman* dicta exsibilanda: forsan astra in hæc inferiora nil agunt, nisi quod ignis elementum movendo aerem excalfaciunt, & majorem vel minorem vaporum copiam è terra suscitant: & si agunt, metallo aliquâ figurâ donato nullam vim peculiarem impertiunt. Homini, cum se Dæmoni dat, Dæmonem apparere, & se pronuntiatis ab homine verbis, vel scriptis characteribus talia præstiturum polliceri sacra scriptura non refert. Magos Pharaonis necromanticos seu verbis & characteribus usos ipsa non notat, sed mira fecisse per incantationes Ægyptiacas, & arcana, quibus verbis non nisi præstigia intelligi possunt, si quidem se Dæmoni dare ut talia præstet, arcanum hoc Ægyptium non est. Pythonissam Samuëlis animam seu spiritum non vi incantationis sed volente Deo excitasse sacri authores testantur. ἐπῳδὴ admodum ambigua res est. Plures sagæ, lamiæ, & striges videntur, quæ minime sunt. Sæpe menstrualis & jejuna vetula halitu suo fruges arefacit: Jejuni hominis saliva vel scorpioni lethifera: Laudatione arbores latæ & formosi pueri fascinari creduntur, quæ per se ex optimo statu in pessimum decidunt. Aliquando laudatus puer lætitia liquescit. Nec Græcorum ὦ ἀφασκάντως, Latinorum præfiscine dixero, aut baccare frontem cingere, adversus blandientis linguæ fascinum profuerit. Interdum squalida & larvalis anus, Triballorum & Illyriorum instar infantem exterret, aut pestifero miasmate & exitiali ἀποῤῥοίᾳ enecat. Si Alexander magnus afflatâ vestibus aurâ suavi & genuina astantes recreabat, quid mirum si vetula tenellulo puerulo quid mortiferum inhalat. Lividus etiam visu fascinat, quia vultuosa & contracta fronte intuentis cor mæstitiâ perstringit, vel quia ex ejus oculis malignus spiritus in alterius oculos vibratur, quomodo ex lippo ophtalmiæ seminium, & ex basilisco venenum transfunditur. Cur in Apulia coralium infantium collo appenditur? quia id frigidæ humentisque naturæ, ut febrientis, sic fascinantis, qui sic detegitur, halitu impallescit. Oculis nil nequius creatum est. Alter Menelai instar venustæ mulieris aspectu fascinatur. Alter Euclidæ aut Narcissi æmulus sua specie carpitur, votique impos tabescit. Cur pupula duplex fulminat? an quia oculus scintillat & intuentes incendit; vir generosus odio, pudore, formidine, libidinis æstu, expletâ veneris appetentiâ sæpiùs quàm ligaculi incantamento emasculatur. Nemo simulachrum cereum pungendo vel urendo (qua cacotechnia Duffum scotorum Regem pene enectum ferunt) hostem devovit. Omni sua incantatione Medæa Jasonem, & Circe Ulissem apud se retinere non valuit. Nero numinibus imperandi cupidus γοητείαν seu fraudulentam tandem deseruit. Multi maniaci cum Dæmonibus rem habere putant, non secus ac se in canes & lupos conversos arbitrantur. Multi quæ de dæmonum ritu audierunt, noctu videre se autumant, vel etiam dedie, quemadmodum quidam inanes floccos è tapetibus vellunt, & Theophili medici instar tibicines in angulo domus adesse imaginantur. Lamiæ quæ unguento hypnotico perunctæ se ad sympofia ferri existimant, ne loco quidem migrant, idemque his accidit ac Indis qui sumpto tabaco obdormiscunt, somnoque exciti ridicula effantur. Non semper energumeni sunt, qui peregrino idiomate quædam verba effutiunt. Quidam atra bile petciti id præstant donec purgati fuerint. Nemo nisi ecstaticus cum numinibus conversatur. Imperspicui elementorum accolæ fictitij sunt: nullum mistum vel μετέωρον igneum ὑπόστατον: Eos mortales genios existere oracula non probant, quorum plurima ambigua, per tubulos plumbeos in statua occultos, & in subditum pavimentum conductos, à versutis hominibus reddita suspicamur. Quæ de concubitu Martis cum Rhea Sylvia matre Romuli & Remi, Jovis cum Olympia matre Alexandri, Ægeriæ nymphæ cum Numa Pompilio, quæ de Deo Socratis, de Cygno naviculæ vectore, de Merlino, Faunis, Satyris, & aliis spectris circumferuntur, æque fabulosa sunt, ac umbra quæ Turno apparuisse à Poëta fingitur.

I I I.

FALLUNTUR qui verbis & characteribus allici dæmones eosque remedia adhibere putant. An eorum pharmaca imperspicua sunt? An chirurgorum instar pixidem variis unguentis & emplastris repletam gerunt? Missis iis nugis verba & characteres in se perpendenda sunt Verba vel scripta visum duntaxat afficiunt, vel ore prolata tantum auditum feriunt. Characteres etiam solum in conspectum veniunt. Utraque vel ad quantitatem vel ad figuram pertinent, quæ agendi vi destituuntur, ut pote quibus nihil contrarium est. Agere lapides & stirpes ob figuram, quæ in his in cinerem redactis remanet, veluti mortuo-

rum in vaporibus, nemo probaverit. Ophites ſerpentis morſui non medetur velut animal ipſum, quod contritum & admotum, à ſimili inuſtum virus, ut ignis ambuſtæ calorem, & frigida gelatæ manus frigus extrahit. Non mediis in rupibus φαλένατα inveniuntur quia eorum ſignra à natura ſaxis inſculpta eorumdem formam & nutritum aſſumit, ſed quia terram ſubeuntia, in ea concreta remanent. Nec fabis ſeu coitu ad quem figurâ ut aiunt excitant, ſed magiſtratu ad quem quis ipſis eligebatur abſtinendum Pythagoras cenſuit. Proh dolor! dum verbis & characteribus nimium fidei tribuitur, interim adhibendi remedij occaſio quæ præceps eſt elabitur. Eudoxia Imperatrix datis ſibi remediorum loco verbis quæ extinctum partum abigerent, expiravit. Olim Athenæ lege vetarunt ne quis morbis mederetur, rati non verbis ſed herbis, lapidibus, & animalibus deos immortales vim ſanandi dediſſe, ideoque mulierem morbis medentem lapidibus obruerunt; periapta, amuleta, pericarpia ab ignaris & novitate vulgi rumorem aucupantibus inventa. Jure Pericles quantum ægrotaſſet amicis oſtendit quod periapta tuliſſet. Sed quid mirum ſi πειαμμάτων ἀβελτέρια tantum valuit! cuipiam ſe medicum dicenti ſtatim creditur, cum nullum ſit mendacium majus. Nemo Athenas imitatus inſcitiam capitalem punit. Medicina non verboſa ſed muta ars eſt. Medicus loquax ægroto alter morbus. Quamvis tamen verba in ſe non agant, tamen ut cogitationis interpretes animum movent. Quocirca medicus antequam carpo manum admoveat ægrum breviter percontatur & probabili ſermone lenit. Adhuc verba ut ſonora ſuaviter afficiunt; ſic luxatis, iſchiacis, podagricis, caniculæ ardori, furori, febri imo & peſti carmen medetur. Dicteriis vero quid atrocius? tali Epode ut Auguramur Amaſis Rex cum Laodice uxore, Theodoricus cum Hermenberga rem habere prohibiti, multique ut Imperator Romanus Argyropilus morbo correpti ſunt.

I V.

AN verbis & characteribus ſeu mira vi pollentibus permota ægri imaginatio manifeſto in vim motricem imperio humores exagitat, & quod noxium eſt extrudit? Si Cræſi filio vehemens metus & loquendi aviditas vocem excuſſit, ſanitatis recuperandæ ſpes eam impertire poteſt. Revera concepta ſanitatis ſpe cæcus & claudus à Veſpaſiano, lienoſi à Pyrrho ſanati perhibentur. Sic etiam plures ſanare dicitur cui plures fidunt. Tanta in ſubjectum corpus vis imaginationis ut phantaſtici ſpectra pro rebus habeant, eroticique amaſiæ umbram deoſculentur; ut gallina maſculæ indolis avida calcatia promat; ut Cyppus Rex Italiæ taurorum pugnam diu meditatus mane cornutus evaſiſſe feratur; ut objecto candente ferro procidua vulva intro recondatur. An verbis fidens quiſpiam ſanitatis reſtituendæ opinione eam præſtat? Imaginatio etiam in alienum corpus agere videtur. Gravida mulier fœtum inficit exoptatæ rei notis; & cum ad leporem attendit prolem edit ore bifido; cum ſe in ſpeculo fracto intuetur ſobolem parit geminata facie; cum adultero ſui copiam faciens de marito cogitat, progeniem profert ſponſo ſimilem: imaginationis energia mira hominem præſtare & Apollonij Tyanæi inſtar animas ab inferis excitare poſſe, vetus Arabum commentum eſt. An animæ cœli motrici intelligentiæ compari mundus obtemperat? an ea pro imaginantis arbitrio vividos vel internecinos ſpiritus vibrat, dum quod ſalutiferum aut noxium eſt in corpore colligit? Imaginationem ægri aliquid poſſe non inficiamur in morbis acutis quorum materia mobilis à natura roborata facile depelli poteſt, tum in melancholicis in quibus phantaſiæ errores emendari poſtulant, non vero in chronicis à craſſo humore, pertinaci obſtructione, partis tumore, vel necroſi productis. forſan à Veſpaſiano & aliis ſanati, conductione morbum finxerunt, fataliſque fuit venalis ſanitas. Nuſquam alterius imaginatio ægrum ſanaverit. Sanitas non communicatur ut morbus: ſymmetria huic homini commoda alteri noxia eſt. Imaginatio quod in alieno corpore ſuperfluit non exigit: hæc non operatur niſi ſpiritus interventu, is vero niſi manifeſta aliqua qualitate præditus nil agit extra proprium corpus quia non amplius animæ inſtrumentum eſt. Imaginatio matris fætum afficit, quia vi formatrici uteri & genitori ſpiritui diſpoſitionem imprimit, qua fætum hoc modo formet ex cohærente tractabilique ſemine. Inſiti caloris ἐκλάμψει evigilarunt Ecſtatici, Lethargici, Apoplectici, Epileptici, Comatoſi, Endymionis, Epimenidis aut glirium inſtar ſoporati, qui ab Ethnicis ad vitam revocati perhibentur. Pyrrhi Digitum quo lienoſos ſanabat igne cremari non potuiſſe fabula: dens os duriſſimum & ſalamandra tandem comburuntur. Pſilli, Marſi, & Ophiogenes innoxie ſerpentes tractabant, eorumque virus è plaga exugebant, non vi carminis aut imaginationis, aut uſu firmatâ audaciâ, ſed quia eorum eſui aſſueverant, aut his dentes eripiebant, & theriacâ ſumptâ veneni perniciem eluebant.

V.

SÆPE opera naturæ verbis & characteribus tribuuntur. Melancholicus morbus dimiſſis quæ ante in uſum veniebant remediis ſaueſcit, non vi periammatum ſed naturæ quæ remediorum abſtinentiâ recreata his tenuatam materiam eliminat. Ulcus dyſepulotum abjectis unguentis & emplaſtris cicatricem recipit, non periaptis, ſed occurſu frigidi & ventorum, eo plane pacto quo rubida naſcentis pueruli cutis epidetma contrahit. Si vulnerati hominis cruore infecto linteo & ſympatico pulvere aſperſo traumatica pharmaca illinantur, interimqué longe diſſiti ægri vulnus linteo mundo quotidie tergeatur, id ipſum conſolidatur quia caro & cicatrix à natura generantur. Solius naturæ beneficio interna ulcera occalleſcunt; pulmonis tamen raro, hæcque refricantur facile, ob aſſimilem ſpongiis mollitudinem & motum aſſiduum, etiam ſi non deſint Tabiarum Veſuvio monti vicinarum aer ſiccus, aut furni halitus, ſaccharum roſaceum, flores ſulphuris, melicratum & lac. Pulvere ſympatico non magis efficax unguentum magneticum vulgo dictum, de cujus compoſitione & parandi tempore non conſtat. Hujus virtutem ab humano ſanguine vel ab anima mundi ad ægri longe ſemoti vulnus deferri incredibile; cruoris atomi huc illuc vagantur ſine lege; anima mundi nulla eſt, habent cœlum & elementa quæ mundum conſtituunt ſuam quæque formam, per quam agunt quæ agere nata ſunt. Nec unguentum vulnus ſanat quod à ſe diſtat: quidquid agit ultra certos terminos vires non exerit. Appage Tralliani medici ſignacula. Aſtrorum virtus ſiqua eſt à metalli figura fictitiæ illorum figuræ neutiquam ſimili non abducitur; ſed qualiſcunque eſt talis intra actionis ſuæ limites diffunditur: nec ab ipſa ſibi non contraria mutatur penes ſe, nec penes effectum quem edit aerem varie movendo, quia forſan non reflectitur nec aerem movet; deinde ſi qua fluit à ſideribus vis reflecti apta, aliorum viribus infirmata ut molliter vibratur, ſic languide repercutitur, ſolumque obvium corpus ferit. Nihil barbarum iſtud vocabulum *Abracadabra*, ad hemitritæum; nihil græcæ litteræ Π & Α charta inſcriptæ, colloque appenſæ, ad lippitudinem; nihil ridiculum hoc ſcriptum appenſum *Strigiles falceſque dentata*, aut vocabulum iſtud *Anaſages*, ter repetitum ad odontalgiam; nihil hæc verba *Danata*, *Daries*, *Dardaries*, *Aſtaries* ad exarthroſim. Nihil hæc *Siſta*, *Piſta*, *Riſta*, *Xiſta*, ad iſchiadicum dolorem: nihil *Och Och*, ad fugandos pulices; nihil *Bud* ad inhibendos ſcorpionis ictus; nihil tria pervulgata carmina ad Epilepſiam conferunt. Nec quidquam aliis morbis, alij inuumeri characteres ignorabiles proſunt. Carmine Uliſſi ab Autolici filiis ſanguinem ſuppreſſum fuiſſe dormitanti Homero fingere licuit; unde curatio verbis fieri credita, homerica dicitur ſeu poëtica & fabuloſa. Forſan Uliſſi ſanguinem cohibuit harmonia inducto ſomno, qui excretiones omnes ſiſtit præter ſudorem: forſan ipſe ob nigritiem à poëta deſcriptam ſeu ob craſſitiem, vel ob ἔκλυσιν ut in Seneca ſectis venis decretam à Nerone mortem obituro, per ſe deſtitit. Epode ambigua res eſt, verba inſe activa non ſunt, efficacem recuperandæ ſanitatis opinionem, fatuis tantum, & in pauculis dumtaxat morbis, non ſine ſuperſtitione movent, ab hiſque fieri credit imperitum vulgus quæ ſponte naturæ eveniunt.

Non ergo morbis curandis verba & characteres.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius Biendiſant.	*M. Claudius Guerin.*	*M. Franciſcus Landrieu.*
M. Dominicus Farcy.	*M. Paulus Mattot.*	*M. Ioannes Antonius Bourgaud.*
M. Henricus Mahieu.	*M. Carolus le Long.*	*M. Germanus Hureau.*

Proponebat Lutetiæ ARMANDUS JOANNES DE MAUVILLAIN, Pariſinus. A. R. S. H. 1676.

PARISIIS,
Apud FRANCISCUM MUGUET, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographum.